

eiusdem Monasterii, & Moniales, quæ sibi successerint in futurum, habeant, & teneant superscriptam Ecclesiam cum omnibus rationibus, & pertinentiis suis, & faciant ex eis tamquam de loco religioso, & ad locum religiosum pertinentibus quidquid facere voluerint sine oppositione infrascriptorum D.D. Electi, & Capituli Aquensis, & ibidem D. Electus, & Canonici constituerunt se possidere dictam Ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis nomine dicti Sindici Monasterii S. Mariæ de Latronorio, dantes licentiam 10 Abbatissæ, ac Monialibus, & Sindico Monasterii intrandi in possessionem ipsius Ecclesiæ de Prædaliis, & omnium rerum eiusdem sua auctoritate, quodcumque voluerint, nulla alia requisitione facta, vel facienda, & ibidem dictus Syndicus nomine dicti Monasterii, & auctoritate sibi concessa ab Abbatissa, & Conventu dicti Monasterii de Latronorio, sicut constat per prædictum instrumentum, quod ego infrascriptus Notarius legi in prima figura non cancellatum, nec vitiatum, nec abolitum in 20 aliqua parte sui in signum devotionis promisit, & convenit præfato D. Electo, & Capitulo dare, & persolvere eis annuatim nomine census 7. libr. ceræ in festo Purificationis S. Mariæ conductas in civitate Aquensi, scilicet lib. 4. D. Ep. Aquensi, & lib. 3. capitulo, & stria 12. grani in medio augusti ipsi capitulo S. Mariæ Aquensis. Et si ipse Electus, vel Capitulum faceret inde aliquas expensas pro isto censu recuperando, promisit eisdem dictus Syndicus nomine dicti Monasterii ipsos con- 30 servare indemnes, & omnes expensas eis restituere, & inde omnia bona dicti Monasterii eis pignori obligavit auctoritate sibi concessa ab Abbatissa, & Conventu Monasterii memorati. Interfuere testes D. Henricus Archipresbiter de Novis, D. Arnaudus Archipresbiter, Bonifacius, & Belingerius Canonici Cassinarum. Ego Opizzo de Monte Morixino Not. iussu prædictorum dominorum, & capituli hanc cartam scripsi. Ego Albertus Not. Pal. mandato Domini Alberti Aquensis Episcopi hanc cartam prout 40 inveni scriptam per prædictum Opizonem ec.

*Privilegium Innocentii IV. monasterio S. Mariæ civitatis Alexandria.*

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis in Christo filiabus Abbatissæ Monasterii sanctæ Mariæ juxta portam Gamundi civitatis Alexandriae ejusque sororibus tam præsentibus, quam futuris 50 regularem vitam professis in P. P. M. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre Religionis enervet. Ea propter dilectæ in Christo filie vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ juxta portam Gamundi civitatis Alexandriae, in quo divino estis obsequio mancipatæ sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & 60 præsentis scripti privilegio communimus, in primis Benedicti regulam, atque institutionem Cisterciensium fratrum a vobis electam ut perpetuis ibidem tempori-

bus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in præsentiarum juste, ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, favente Domino poterit adipisci, firma vobis, & eis, quæ vobis successerint, & illibata permaneant. In quibus hæc duximus propriis exprimenda pertinentiis, scilicet domum, & possessiones, 10 quas habetis in loco, qui vocatur Pozolo cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, & piscuis in bosco, & plano in aqua, & molendinis in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium generale, ac etiam novalium, quæ propriis sumtibus colitis, de quibus novalibus aliquis hactenus non percepit, sive de ortis, virgultis, & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis 20 decimas exigere, & extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas, & absolutas a seculo fugientes ad conversionem recipere, ac eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum post factam in Monasterio vestro professionem fas sit sine abbatissæ suæ licentia de eodem loco discedere. Discendentem vero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Illud districtius inhibemus, ne terras, seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dari, 30 sive alio modo alienari absque consensu totius capituli, vel majoris, aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes, vel alienationes aliter quam dictum est, factæ fuerint eas irritas esse censemus. Insuper auctoritate Apostolica inhibemus, ut nullus Episcopus, seu quælibet alia persona ad synodos, vel conventus forenses vos ire, vel iudicio de vestra propria substantia, vel possessionibus vestris subjacere compellat. Nec ad domos vestras causas celebrandi, causas tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi, venire præsumat. Nec regularem electionem Abbatissæ vestræ impediat, aut de instituenda, aut removenda ea, quæ pro tempore fuerit contra statuta Cisterciensis Ordinis, se aliquatenus intromittat. Pro consecratione vero altarium, vel Ecclesiarum, sive pro oleo sacrosancto, vel quolibet Ecclesiastico Sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo, quidquam audeat extorquere, sed hæc omnia 50 gratis vobis Episcopus Diocesanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire Antistitem gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur impendat. Quod si sedes Diocesani Episcopi forte vacaverit, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta vicinis Episcopis accipere libere, & absque contradictione possitis facere, ut ex hoc in posterum proprio Episcopo nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum 60 proprii Episcopi copiam non habetis, si quem Episcopum Romanæ Sedis, ut diximus gratiam, & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis per vos transire contingerit, ab eo